Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1871
Quelle:
Copyright:

tera animalia homo dicitur esse liberi arbitrij et dominus propositorum suorum &c. Sunt *Sermones* numero LVII. et postremus *Sabbato in quatuor temporibus* finit: *eterne et beate vite bona. Ad quam vitam nos perducat ihesus marie filius qui est in secula benedictus Amen.* Adjectus est manu Sec. XV. Elenchus *Casuum* Excommunicationis et Suspensionis a Communione, quem in *Germania* scriptum probant insperſa Vernacula *Kirichprwchl*, *Kirichdieb*, et *Aufreytter der weingart oder achker oder pawm.*

III. *fol.* 113. ἀνεπιγραφως sequuntur magno numero *Sermones* de Festis Domini, B. V. M. et Sanctorum per anni circulum, adjunctis *Sermonibus* de Communi SS. ad quos Lector in Festis minus celebribus saepe remittitur. *Sermo primus* est *De sancto Nycolao confessore*, et incipit: *Thezaurus desiderabilis oleum in habitaculo iusti. Prou. 21. Consuetudo est in istis magnis curijs quod aliter prouidet rex tunc quando ingreditur bellum* &c. Non dubitem et hos *Sermones* ad *Nicolaum Asculanum* referre, cui citati Bibliothecarii *Sermones de Sanctis* tribuunt, alicubi, ut ajunt, forte latentes. Inter eos geminum *de vndecim millium virginum fol.* 152. p. 2. et *fol.* 162. p. 2. reperiri miror. Saepe per decursum, et maxime in fine Sermonum monetur Orator: *Dic historiam;* unde vides, Adparatum potius esse, quam Sermones elaboratos. Finis est in S. *Dominico* et ejus ordine: *quia armati sunt armatura illius, que demonum potentiam subiugauit scilicet marie virginis que dedit eis habitum. Et dic qualiter et fac finem. Amen.* Subdidit Scriba jocularis: *Explicit per manus et non per pedes.*

IV. *fol.* 184. accedit a manu recentiore Συλλογη *Sermonum* variorum, qui fortasse *Nicolai Asculani* Supplementum sunt, nihilque offerunt notatu dignum, sed illos praecedit Elenchus interpres sacrorum Librorum, e quo ridicula quaedam adscribam: *Ad Philippen. zu den versmehern, qui plus philipendebant doctrinam quam omnes greci. Ad Galathas: zu den muetern. Ad Colonicen. proprio nomine redditur ab aqua colonia vbi Johannite sedent. Numeri. Das puch der czal oder der iuden raysung vber dew wuchst* (Wüste). *Apocalypsis. Das puch der gotleichen taugen* &c. Thecae Codicis interius fragmentis membraneis *Talmudicis* currente calamo exaratis convestitae sunt.

DCCLXXX.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 164. f. per duas columnas nitide, multis tamen vocum contractionibus exaratus, fronte deaurata et coloribus distinctus, olimque Collegii S. J. *Viennae* hunc minio Titulum praefert: *Incipit postilla super euuangelia dominicalia tocius anni exceptis quadragesimalibus edita a fratre francisco de ciuitate astensi de ordine fratrum minorum. Dominica* R. 934